

illis immolarentur, et diademata, quibus eorum capita in altariis redimerentur. Hinc ergo est, quod cum b. V. participatione deitatis longo intervallo omnes sanctos antecellit, excellentior religionis cultus ei debetur. Et ideo Ecclesia catholica quasi tributum dierum ei persolvens, singularum hebdomadarum singulos dies sabbati et sanctificat, commulans festum actionis gratiarum propter beneficium creationis mundi in actionem gratiarum propter beneficium creationis Matris Dei, quae fuit novus mundus abbreviatus, excellentior et capax mundo elementalari, siquidem quem coeli coelorum capere non poterant, illa utero suo conclusit. Sed quare magis diem sabbati ad hoc elegit, quam alium quemlibet totius hebdomadae, variae possunt congruentes satis assignari causae. Prima, quia sicut sabbatum fuit dies, in quo Deus requievit ab omni opere quod paravit, ita in utero Virginis delitescens requievit, ut ipsa testatur, dicens (Eccl. 24): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Secunda, quia diem sabbati prae ceteris omnibus diebus Deus specialiter sanctificaverat, fecerunt suam benedictionem ei largiens (Exod. 20): Benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. Tertia desumi potest ex Alberto Magno (sup. Miss. c. 202), qui loquens de benedictione sabbati inquit: Est autem ista benedictio operum consummatio; in beatissima autem Virgine fuit perfecte operum consummatio, quia omnia creata in uno homine uniantur cum Creatore, et primum fit ultimum, et ultimum primum. Ultima tandem ratio sit: quia b. Virgo est sabbatum illud delicatum, de quo Isaias (c. 56): *Vocaberis sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum*; et ideo quasi iure suo sibi vindicabat diem sabbati sibi consecrari. Quod si, ut refert Ioseph (de bel. Iud. lib. 7. c. 24), per medium duarum civitatum magnus quidam fluvius pertransit, qui die sabbati copiosior, et impetuosior torrente fluit, omnibus fontibus, qui ab eo originem ducunt, largissimas aquas tribuens: nomen autem fluvii huius est *sabbaticus*, qui die sabbati potentiam suam ostendat, aquarum suarum thesaurus liberalissime profundens: non secus cum beatissima Virgo singulis diebus invocantibus illam propitiam se exhibeat, die tamen sabbati, quia specialiter ei sacralis est, copiosioribus gratiarum imbribus filiorum suorum animas irrigat, et liberalius munera sua eis impertitur. Quando vero, et ob quam causam sacer hic dies b. Virginis factus fuerit, non est una omnium sententia. Canisius (l. 5. c. 29) ex sententia Petri Dam. caepisse ait a Greg. VII. Pontifice Max. Raven. (lib. 5. hist.). et Arnold. (l. 5. ligni vitae c. 20) ad tribunal Concilii Claramontano sub Urbano II. anno 1096. quod et acceptat Rutilius Episc. (in Magnif. lib. 22. dub. 7). De causa vero huius institutionis sic loquitur Bernardus (lib. de passion. Domini): *Maria, quae sola benedicta est in mulieribus, sola per illum tristem sabbatum stetit in fide, et salvata fuit Ecclesia in ipsa sola*; propter quod aptissime in laudem et gloriam eiusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrari consuevit. Suffragatur Bernardo assertor de fide in sola vir-*

gine Alex. Alen. (p. 3. q. ult. ar. 2), Durandus (l. 4. die. off. c. 1), Turrecrem. (lib. de eccl. c. 13. et l. 3. c. 6), et Caiet. (l. 6. ration. die. off. c. 7); sed pauciorum doctorum dixerim, periculosum iudico asserere in sola Virgine tunc mansisse veram fidem, tum quia pro illo tempore Ecclesia periisset, quia Ecclesia non est una persona, sed populum, et regnum, seu congregatio fidelium: non ergo potest consistere Ecclesia catholica uno solo fidei existente, sed ex pluribus, ut minimum duobus coalescere debet, tum etiam quia illi qui absentes erant a Ierusalem, et usque ad illud tempus habuerunt veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa, quod est evidenter falsum. Durandus tamen (lib. 4. ration. die. off. c. 1) ait, olim in quadam ecclesia civilitatis Constantinopolis fuisse imaginem B. V. coram qua dependebat velum lotam veans imaginem, quod in sexta feria post vesperras nullo movente recedebat, ut ad plenum posset conspici imago; celebratis vero vespers in sabbato iterum illam cooperiebat; hoc ergo insigne miraculum sabbati dies sacrum fuit. Non incongrue etiam dici posset hoc factum fuisse, ut solemnitas matris solemnitas filii, quae in dominica celebratur, copularetur: ecce igitur quam veraciter b. Virgo verba illa protulerit: *Beatum me dicent omnes generationes*. Quod attento animo perpendens insignis ille Car. Ioannes Turrecremata (lib. de Concept.) in haec Mariana laudis verba prorupit: *Felix, quam angeli laudibus prosequuntur; felix, quam apostolorum chorus honorat; felix, quam martyres candidati beatificant; felix, quam sanctorum confessorum stolatus celebrat numerus; felix, cui sanctarum Virginum cum suis palmis exultans occurrit exercitus; felix non solum ex ore infantium et lactentium, sed per iugulum etiam adversariorum Deum laudem perfecit; felix, quam non tantum ecclesiae iustorum, sed etiam congregationes haereticorum honoribus prosequuntur, enormis illustrant; haec ille. Sed dicit quispiam: qui fieri potest, ut haec omnia verificentur, cum de paganis et haereticis praecipue conqueratur b. Virgo dicens: *Filii matris meae pugnaverunt contra me; et non tantum isti, sed et custodes murorum, qui circumventur civitatem, invenerunt me, percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum*: quomodo ergo beatam illam dicunt omnes generationes? nisi forte depraeationem, percussionem, et infandum bellum dixerit beneficentem, laudem, et honorem: *filii*, inquit, *matris meae*, qui fonte baptismatis tanquam filii Ecclesiae renati, ab ea tamen degenere facti, pugnaverunt contra me, scilicet telis mendacii, acutenes linguas suas contra me sicut serpentes: *custodes murorum* impii, blasphemae et damnatae fidei haeretici, non homines, sed hominum sex, ac putrida sentina, invenerunt me, et tulerunt pallium meum, pallium laudum, pallium honoris, quo a filiabus Sion, animabus scilicet iustis, fueram exornata. Talis pallium meum impius Lutherus, dum meum cultum labefactare contendit; tulit pallium honoris mei Calvinus, qui eos, qui me honorificis nominibus honestant, atrocem Deo iniuriam facere iudicat; depilavit Buccerus peritissimos meos scrip-*

tores, summos Dei blasphematores reputans; spoliavit me Ecolampadius hyperduliae cultum mihi exhibitum idololatram esse garricus: taceo Ioannis Machachi fodam prociadentem, Covvini virulentam linguam, Vigandi, Brentii, ceterorumque huius farinae hominum impudentiam adversus me oblatrantium: si haec ita se habent, ubinam sunt laudes omnium generationum, ubi turris davidica, ex qua mille clarypei ad eius defensionem pendeant? ubinam sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis? ubi archangelus Gabriel illi assistens, et reliqui angeli in ministerium Dei parae divinitus signati, qui venenatas adversus eam et sibilantes linguas praecidant? ubi tandem fortitudo mulieris illius, quae ex divino oraculo caput daemonis contritura erat? Bifariam huic difficultati satisfaciendum duxi; primo, quod, ut superiori homilia adnotavi, verba illa Virginis (Luc. 1): *Beatum me dicent omnes generationes*, non important universitatem pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Secundo, quod aliquando omnes generationes erant unum oculo, et unus pastor, sub uno capite Christo; et tunc omnes generationes b. Virginem praedicabant, ut observavit d. Antoninus (4. p. sum. tit. 15. cap. 24) qui ait: *Et in fine conconvertitur ad vespem, circumbant civitatem Ecclesiam ad veritatem fidei recipiendam, plane beatam dicent eam omnes illae generationes; non enim praeterit generatio haec, ait Iesus, donec omnia fiant*. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XVIII.

*Elucidantur verba illa: Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius: ubi duo praesertim ostenduntur, primum, quae sint ista magna, quae Dei omnipotentia Virgini fecit: secundum, per sanctum nomen eius, intellectus Dei parum Verbum divinum incarnatum.*

Inter alia magna, quibus mirabilis Dei omnipotentia Dei parum Mariam significavit, illud satis nobis exploratum est, quod sicut nemo Dei magnitudinem comprehendere valet, ita nec Mariae magnitudinem et excellentiam eius ad mensuram quispiam redigere potest: unde sicut de Deo, ita de Virgine suo modo veracissime dicens illud Ecclesiastici (c. 18): *Quis sufficit enarrare opera illius? quis investigabit magnalia eius? virtutem autem magnitudinis eius quis annuntiat?* Ut tamen magnitudinem hanc, quod facultatis nostrae parvitas pertingere possit, alius repetamus, ab aeterna Virginis praedestinatione exordiamur. Magnam quidem fuit, immo et reliquorum omnium magnorum, suum magnum quae in Virgine Dei potentia efficit, fons et origo, quod inter omnes parvas creaturas primum in aeterna praedestinatione, ac principem locum teneat: ideo enim primogenitam Dei se vocat (Eccl. 24. ab.): *Prinogenita ante omnem creaturam*: ideo etiam

in omni populo, sublimis, et in omni gente primatum habuit: fuit autem praedestinata ad dignitatem matris Dei, quia quidem praedestinatio praeter eam, quia Christus praedestinatus est, ut esset Filius Dei naturalis, nulla sublimior atque excellentior, tametsi fingendi facultas delur, excogitari potest.

Magnum, quod eo tempore quo Christus Dominus angelis in spiritu praestentus fuit, ut illum adorarent, sicut docuit d. Bernardus (se. 17. in Cant.), eodem etiam praesentus fuit et mater, ex qua carmen sumpturus erat, illamque hyperduliae cultu adorant: unde Iob (c. 38) in persona eius ait: *Cum me laudarent simul astra matutina, et ibilarent omnes filii Dei*. Magnum etiam fuit, quod variis figuris et imaginibus copiosius, quam ulla unquam creatura esset praenolata et adumbrata: eam enim designavit Eva in iustitia originali creatura, Sara mater obediencissimis Isaac, Rebecca mater supplantatoris, Rachel plechitudine conspicua, Lia foecunditate insignis, Maria soror Moysis, divinarum laudum tympnistria, Ruth, cui dictum est (cap. 3): *Benedicta es flia tu a Domino*: Iudith, quae caput Holofernis amputavit, et cui Ozias princeps populi Israel dixit (Iudith 13): *Nomen tuum ita magnificatum est, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini*: Abigail prudentissima, quae regem David placavit: Sunamitis, virgo pudicissima, quae regem calefeci: Esther, quae pro populo mortis aditico intercessi: Sasanna, cuius castitas divinitus fuit comprobata, et illam labefactare conantes occisi, quia memfisi sunt in caput suum, ut dixit Daniel: Debora, quae filios Israel erudiebat: paradus voluptatis a Cherubino custoditus: thronus Salomonis mirifice elaboratus: templum eiusdem, in quo malleus, nec serra audita sumt: arca Noe, quam inundantes aquae diluvii submergere non potuerunt: arca diluvii, in qua virga Moysis, tabulae legis, et manna coeleste servabantur: tabernaculum sanctificatum Altissimi: propitiatorium, in quo Deus oracula reddebat: rubus ardens incombustus, in quo Dominus latebat: scala Jacob, quae summitate sua coelum tangebat: velus Geodonis, in quod coelestis ros descendit: porta Ezechielis clausa: lectulus floridus Salomonis miram fragrantiam spargens: turris David ab hostibus nunquam expugnata, quia mille clarypei dependebant ex ea: fulgentissimus sol, qui luce nunquam caruit: luna splendidissima, quae mater roris est, et super mare dominatur: nubes lucida coelestem pluviam emittens: mulier salta tria fermento commiscens; ac tandem si omnes typos Marianae praegurantes recensere vellem, pagina potius, quam materia mihi deficeret.

Magnum certe, quod ab infocendis et senio confectis parentibus non absque miraculo progigneretur, ut tradit d. Hieronymus (de ortu Virg.), et d. Cyprinus (de laud. Vir. in Assum.): magnum quod ante patribus caelitus fuit re-promissa, ut testatur Bernardus: magnum, quod absque peccati macula originali concepta: *Ipse creavit eam in Spiritu sancto*: magnum, quod ex tunc usum liberi arbitrii praedita, et in ea



semper ille perseveraverit, ut tradit s. Bernardus Senensis (*serm. 31. de b. Virg. c. 2. ar. 1.*): magnum, quod fomes peccati in ea non pullulaverit; vel, si ut aliis placet, pullulavit, continuo divina virtute extinctus fuit: magnum, quod nata fuerit sanctorum seraphinis, et in probatice piscinae loco, ut auctor est d. Damascenus: magnum, quod ex semine Abrahae, et regia progenie David oriunda, ut testatur d. Matthaues: magnum, quod triennis Deo in templo se dicavit, ut refert b. Evodius (*apud Niceph. lib. 2. hist.*): magnum, quod in tam tenera ac infantili aetate scalas sine alicuius iuvamine conscenderet, ut commemorat d. Hieronymus: magnum, quod eo tempore, in quo filiorum procreatio in magno pretio habebatur, et sterilitas contemnebatur, sacra illa puella absque alicuius exemplo virginitatem suam voto Deo consecraret, primaque huius religiosi cultus virginitatem vovendi inventrix existeret, ut ait d. Bernardus (*hom. 3. de b. Virg.*): magnum, quod in templo, angelico ministerio, cibo nutriretur, ut scribit s. Gregorius Nicomediensis (*hom. de oblat. Virg. in templo*): magnum, quod sponsaretur Iosepho ostenso divinitus duplici illo prodigio germinationis siccae virgae quam in manu tenebat, et descensus Spiritus sancti super illam in forma columbae, ut refert d. Hieronymus: magnum, quod ex divina iussione Gabriel angelus eam salutat, dicens: *Ave gratia plena*: magnum, quod consensum, ut mater Dei fieret, profundissima humilitate adhibuit, dicens (*Luc. 1.*): *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*: magnum, quod tanta illa esset plenitudo gratiae, ut omnes angelorum et hominum gratias in unum cumulum reductas longo intervallo superaret, ut docuit d. Bernardus Senensis (*serm. 13. de festivit. Virg.*): magnum, quod Verbum caro in ea factum est, ut testantur Ioannes et Lucas: magnum quod illum, quem Pater aeternus ab aeterno in utero suo genuit, illa in ventre suo plenitudine temporis adveniente concepit: magnum, quod aeternus Pater paternitatis dignitatem, quam solus habet, nulli sicut Mariae communicaverit: nulla etenim creatura, nisi sola Maria, parens Dei est: magnum, quod pars virginis sanguinis unionis hypostaticae vinculo cum Verbo divino coniungeretur, unde b. Damianus (*ser. de Nat. Mar.*) dixit: *Cum Deus sit in altis rebus tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo per identitatem. Hic tacet, et contremiscit omnis creatura, et vix audeat aspicere tantae dignitatis immensitatem*: magnum, quod Deum et hominem absque dolore pepererit: magnum, quod concipiens et pariens Virgo permanserit: magnum, quod virginitatem cum foecunditate copulaverit, ut his verbis eleganter scripsit Cyprianus, insignis Christi martyr (*serm. de Nat. Christi*): *Non aliqua naturae iniuria Matrem Domini laesit, quoniam sine tormento peperit, quae in conceptione caruit voluptate; ultra maturas ab arbore balaia fructus elapsus, nec oportuit vellitari, quod sponte prodibat*: magnum, quod Maria Christi corpus in ventre gestans, laedum, quod aliae matres foetus pondere gravatae sentiunt, ipsa non pensense-

rit, ut tradit d. Bernardus (*ser. super sig. mag.*): magnum, ut creatura utrix esset sui Creatoris, illumque ubere de coelo pleno lactaret, ut canit Ecclesia catholica: magnum, quod Deum regem suum, ac dominum dominantium obedientiae suae subiectum haberet, Evangelista dicente (*Luc. 2.*): *Subditus erat illis*: magnum, quod longissimam vilam agens, nec opere, nec verbo, nec cogitatione minimam aliquid venialis peccati labem unquam contraheret, ut docet sacrosanctum concilium Tridentinum: magnum, quod ex ardentis amoris fervore erga dilectum suum interierit (*Cant. 2.*): *Dicite dilecto, quia amore langueo*: magnum, quod post triduum mortis gloriosa resurrexit: magnum, quod anima et corpore in coelum, angelorum turmis stipata, assumpta fuerit: magnum, quod coeleste regnum *intra super dilectum*, possidendum intraverit: magnum, quod exaltata sit super choros angelorum, ut canit Ecclesia: magnum, quod ad aethereum thalamum contendens diademate pretioso redimita, regnumque sceptrum manu tenens, a dextris Dei sedeat, Davide dicente (*Ps. 44.*): *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Haec adeo magna esse perhibentur, ut nemo sit tam mentis inops, qui non videat veraciter dixisse Mariam (*Luc. 1.*): *Fecit mihi magna, qui potens est*.

Patres tamen communi consensu per haec magna intelligunt Verbi divini incarnationem et Christi conceptionem in utero Virginis celebratam: ita Theophylus in Catena area d. Thomae ex mente d. Augustini, ubi ait: *Virgo non per suam virtutem se beatam praedicandam, sed causam assignat dicens: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Quae tibi magna fecit? Credo, ut creatura ederes Creatorem, fanula Dominum generares, ut per te mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam revocaret*; haec ille: quibus consona sunt alia praecleara antiquissimi martyris Methodii (*or. de hypop. Domini.*), ubi ait: *Tu Deo alioquin nullius rei indigo, carnem, quam non habebat, dedisti; ut hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, vero appareret. Quid hoc illustrius? Quid hoc sublimius? Qui coelum, et terram implet, cuius praeterea sunt omnia quaecumque moventur, atque subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam attingendo non habuit, Deo mutuum dedisti. Tu potentem illum corpore tamquam decenti quadam paupertate induisti, per quam quidem facile a me caperetur; et cerneretur. Euge, euge illum habes, qui omnibus mutuo dat. Deo namque universi debemus, tibi vero ille debet: brevis tamen Eusebius Emisenus (*ser. 6. ante 4. Dom. advent.*) inquit: *Vere utique magna nulli alii et fecit, et facturus est: ex ea carne suscepti, et coeli, terraque Dominam et reginam eam fecit. In eandem conspiciunt expositionem d. Bonaventurae (*super c. 1. Luc.*), Thomas (*in catena*), et Vener. Bedae (*sup. Luc. c. 1.*) adducens illud Iobi: *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Olim quidem Deus dixit per prophetam Iosephem (*c. 2.*): Dabo prodigia in coelo sursum, et***

signa in terra deorsum. Saepe alias Deus portentosa prodigia patraverat: in coelo tantum, ut tempore Iosue fecit solem in medio sui cursus sistere, et tempore regis Ezechiae decem lineis eundem retrocedere; vel in aere tantum, quando tempore diluvii coelestis apertus variis coloribus distinctus apparuit; vel in igne tantum, quando inter ardentis, ac voraces babilonicis camini flammam tres pueri illaesa divinas laudes canebant; vel in terra tantum, quando illa Dathan, et Abiron absorpsit, et quando ex petra ad imperium Moysis copiosas aquas eduxit: quod tamen sursum et deorsum simul, in coelo et in terra pariter, signa atque prodigia faceret, nunquam visum fuit, quia id Dei omnipotentia in Virgine sola facilitandum reservaverat, in qua vere fecit prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum: sursum quidem, quando circa Verbum divinum factum est magnum illud prodigium, ut per incarnationis sacramentum duplicem naturam divinam et humanam eadem Verbi divini sustineret persona; in qua humilis instar terrae, Maria mira eius virtute foecundata Filium Dei utero concepit. Ecce prodigia et signa magna coniuncta sursum, et deorsum, in coelo simul et in terra, ut vaticinatus fuerat propheta Iosue. Sileant ergo iam in conspectu horum signorum omnia illa quondam patrata signa; sileant, quae patrauit Moyses, cum fluminis aquas in sanguinem vertit, ranis Aegyptum implevit, molestos ciniphes immisit, celubrum in virgam commutavit, populum Dei a tyrannica illius servitute liberavit. Sileant reliqua alia prodigia, quorum sacra eloquia meminere: ferrum super aquam tempore Elisei natans; asini maxilla instar fontis aquam scaturiens; asina Balaam articulata verba instar hominis profertens; sterilis Sara annis octusta concipiens; coelum manna et carnes pluens; sicca virga Aaronis florens; Iordanis aquae fluxum suum cohibentes; rubus ardens non combustus, cum aliis plerisque, quae importunum esset recensere. Sileant, inquam, omnia haec signa, quia licet magna, maiora tamen absque ulla controversia, quod foemina generet Deum, creatura suum concipiat Creatorem, ac incomprehensibilem suo utero comprehendat; maiora, quod fons parvus et signatus mare latissimum producat; stella parvula solem; vas conficiat suum figulum; domus suum architectum condat; centrum totam sphaeram claudat; punctus universum orbem includat. Haec nova magna, magna adeo sunt, ut illa antiqua magna magno intervallo ab his superentur.

Unde infero, non potuisse non ingentem esse Mariae magnitudinem, in qua tam magna Dei omnipotentia patrauit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*. In huius magnitudinis figuram antiquissimus Philo (*lib. allegor. in Exod.*) acute adnotavit, quod quamvis in sacra Scriptura reperitur, arcae confederationis, quae Virginem adumbrabat, longitudinem, et latitudinem mensurari, profunditatis tamen eius nulla in ea assignatur mensura; ut hac ratione nobis significaretur Ma-

rianae sanctitatis immensitatem a creaturis mensurari, ac comprehendi non posse. Atque ad id ipsum significandum, cum sacra Scriptura per rubum incobustum Mariam significavit, continuo adiecit illum flammam emittere, et inaccessibilem esse; cumque Moyses voluit accedere, non est permixsus. Cum etiam appellat illam fontem, subtingit esse signatum; et cum vocal portam, confesim subdit esse clausam, ut hinc doceatur magnitudinem Virginis, magnoque quae illi in illa, per illam, et cum illa Dei omnipotentia efficit, a nobis penetrari ad unguem minime posse. Unde sapienter b. Virgo dicens magna sibi fecisse Deum, ne quisquam hac tanta magnitudine deterritus in eorum fide vacillaret, aut dubitaret de Dei omnipotentia, in memoriam sapienter nobis revocavit, ut memores illius potentiae nihil de hac tanta eius magnitudine haesitaremus, prout his verbis recte adnotavit Titus, id referente d. Thoma (*in sua aurea Catena*): *Dixit, qui potens est, ut si quis diffidat in conceptionis negotio, dum Virgo manens concepit, retorquet miraculum ad potentiam operantis*. Quare mihi videtur, quod dum beata Virgo adiecit verba illa, *qui potens est*, solutionem nobis tradidit ad omnia cavillosa rationis humanae argumenta facile diluenda, cum quaecumque difficultiora crediti menti occurrat, sit ad omnipotentiam Dei illa referamus, a qua omnia facile superantur, tamquam fumus evanescent, cum non sit impossibile apud Deum omne verbum: unde recte d. Augustinus (*epist. ad Velianum. to. 3.*) dixit: *In rebus mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis*.

Ceterum oportet iam explicemus, quid sibi velint sequentia Mariae verba: *Et sanctum nomen eius*: quidam enim putant hunc sensum reddere: fecit mihi magna, qui potens est, et eius nomen sanctum est. Hugo Victorinus (*super hunc locum*) per nomen Dei intelligit famam eius, in quo sensu illud non semel usurpavit Plato (*in suis politicis*), sic enim ait Hugo: *Quid est nomen eius? fama eius, nomen eius, cognitio eius, fides nomen eius*: in qua acceptioe sensus est, propter magnam, quae mihi fecit omnipotens, eius fama, et nomen dilatabitur. Alii accipientes nomen pro facultate, et virtute ad aliquid efficiendum, ut Christus Dominus illud accepit, cum dixit (*Mar. 9.*): *In nomine meo daemones eicient*, arbitrantur sensum esse, quod virtus omnipotentiae divinae magna fecerit b. Virginis. Alii per sanctum nomen intelligunt hoc loco nomen Dei vocale, quod Hebraei Deum nominabant, et in cuius virtute frequenter Deus magna faciebat; secundum quam intelligentiam sensus erit, quod Deus fecit Virgini magna ad invocationem sui sancti nominis, quod frequenter ipsa mente, et ore invocabat. Verum, cum teste d. Isidoro Hispalense (*lib. 7. etymol. c. 1.*), Hebraei decem nominibus Deum vocitarent, dubium inde emergit, quodnam fuerit ex illis illud, cuius beata Virgo meminit, cum dixit, et sanctum nomen eius. Primum nomen apud Hebraeos El dicebatur, quod fortis interpretatur. Secundum Eloim. Tertium Elohah, quod utrumque idem pollet, quod latine Deus. Quartum Sabaoth, quod



*exercitus*, seu *virtutes* significat. Quintum *Eliou*, quod latine *excelsus*. Sextum *Eheio*, idest, qui est, iuxta illud: *Qui est, misit me ad vos*. Septimum est *Adonai*, quod interpretatur *Domini* absolute, et quasi per antonomasiam talis. Octavum est *Iam*, quod *existens* interpretatur. Nonum est, *Sciadaai*, idest *omnipotens*. Decimum est Tetragrammaton, hoc est, quatuor litterarum, quod proprie apud Hebraeos, et tradit Chrysostomus Lusitanus (de verb. div. li. 4. cap. 11), ponitur in Deo *Iode*, idest *duabus Ia*, quae duplicata ineffabile illud et gloriosum Dei nomen efficiunt. Ex his ergo omnibus nominibus sine dubio b. Virgo, cum dixit, et *sanctum nomen eius*, intellexit illud, quod apud Hebraeos, et in sacra Scriptura magis frequentatum erat, et magis venerabile. Hoc autem erat *Iehova*, quod dicitur admirabile et ineffabile propter mysteria mirabilia, quae portendit, unde scribitur quatuor litteris hebraicis *Iod, He, Vau, He*, propter quatuor mysteria personalia, et alia quatuor essentialia, quae continent, et notificat illud nomen in Deo, significata per illas quatuor litteras. Nam ista littera *Iod* interpretatur *principium* omnium personarum, non de principio: *He* vero interpretatur *esse*, idem significat Verbum, sive *Filium*, per quem facta sunt omnia, et a quo habent esse: *Vau* autem interpretatur *ipse*, sive *Virtus*, idem significat Spiritum sanctum, qui spirat omnem virtutem, et motum in omnibus rebus. Ultima vero littera, scilicet *he*, significat humanitatem Filii iunctam Verbo, et ideo bis ponitur *he* in hoc nomine, ad denotandum, quod ista littera *he* bis sumpta, denotat duas naturas in una persona; et licet sint duae naturae in Christo, tamen non manet nisi una persona. Et notanter secundum *he* ponitur in ultimo loco, ad denotandum, quod licet tres personae divinae sint ab aeterno, tamen incarnatione facta est ultimat ex tempore, et illa humanitas ita est iuncta personaliter Filio, quod non ceteris personis. Ex quo patet quod per illas quatuor litteras significabatur mysterium Trinitatis, et incarnationis simul; significabant enim tres personas divinas, et humanitatem assumptam in Verbo, et sic designabant sapientia quatuor mysteria personarum in divinis. Item illae eadem quatuor litterae significant alia quatuor ineffabilia mysteria Deo essentialia, scilicet summam omnipotentiam, summam sapientiam, summam misericordiam, et summam iustitiam. Et ideo istud nomen dicebatur ineffabile, et mirabile apud patres veteris testamenti, quia nunquam sapientia mysteria fuerunt scripta, nec revelata illis patribus, nisi sub quibusdam figuris; ideo dixit Deus Moysi, quod, *nomen meum Adonai* noudum indicavi eis; unde tria sunt praenuntiata in *ve*, de hoc nomine Dei quatuor litterarum. Primo quod Messias in lege promissus debebat habere hoc nomen, et debebat vocari illo nomine Patris cognito, ut patet (Ierem. 23): *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen iustum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra: et hoc est nomen, quod vocabant eum, Dominus iustus noster*. Ubi Dominus scribitur quatuor litteris, quod soli Deo

convenit; et omnes Hebraei dicunt, quod iste est rex Messias. Secundo, quod Messias futurum erat, ut re ipsa esset ipsum nomen Dei, ut expresse dixit Isaias (cap. 30). Tertio, quod ipse manifestaturus erat nomen suum, ut idem Isaias testatur (c. 30): *Utinam disrumperes caecos, et descenderes, et notum fieret nomen tuum*. Unde Iudaei asserbant, ut auctor est Episcopus Christopolitanus (super magnificat), quod illi qui saeculi Messiae futuri essent, cognoscituri erant virtutes et proprietates huius ineffabilis nominis.

Mihi tamen videtur b. Virgo per illa verba, et *sanctum nomen eius*, intellexisse Verbum divinum carne indutum. Pro cuius maiori intelligentia observandum est, ex doctrina Aristoteleis (3. de anima, et 7. Metaph.), et (1. Perihem.), quod conceptus, quem intellectus noster format, quo rei naturam penetrat, dicitur *diffinitio*, et *ratio rei*, nota soli ipsi intelligenti, quem conceptum Graeci appellant *λῆγος*, quod idem pollet, quod *latine verbum*; ut autem aliis innotescat, oportet ut externa voce induat, atque sic indutus, ut ita loquar, et factus vocalis, qui antea solum erat mentalis, dicitur nomen a *notificando*, quia, ut dixit Aristoteles (lib. 1. Perihem.), *voce sunt nota carum, quae sunt in anima, passionum*. Hinc d. Augustinus ab hac philosophi doctrina non discedens (lib. 15. de Trinit.), docuit, Verbum divinum esse conceptum diffinitivum Patris, ipsi soli notum, quo se diffiniit secundum totum pelagus, et plenitudinem suae divinitatis. Sicut autem accidit in nobis, ad aliam notificandam nostrum conceptum, oportet illum externa voce induere, et per illam vocem fit nomen, per quod verbum nostrum mentale aliis innotescit; ita Deus Pater induit Verbum suum humana carne, et per Verbum sic incarnatum, tanquam per nomen, notificavit mundo se ipsum, et voluntatem suam, loquens nobis per illud, ut ait d. Paulus (Heb. 1): *Noctissime autem diebus istis locutus est nobis in Filio, per quem fecit et saecula*. Nomen igitur Dei est Verbum incarnatum, ut expresse etiam docuit Isaias propheta, cum dixit (c. 30): *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. Est enim clarus, quam probatione indigeat, hic non promittitur venturum de longinquo aliquid nomen vocale, aut scriptum, sed Verbum ipsum divinum, quod carne indutum, instar conceptus voce induti, abscondita cordis exprimentis, divini peccatis arcana nobis manifestare debet, ut postea ipso opere complevit, ipso dicente (Ioan. 15): *Quaeque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Cum ergo b. Virgo dixit (Luc. 1): *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius*, perinde arbitror esse, ac si dixisset, quia feci mihi magna Pater per Filium, per quem facta sunt omnia. Ex quo etiam liquet, quam recte nomen hoc vocaverit, *Sanctum*, et *Sanctum nomen eius*: nam cum per illud intellexerit Verbum divinum carne indutum, quod essentialiter est idem cum Patre, ipso dicente (Ioann. 10): *Ego, et Pater unum sumus*, consequens est, eandem essentialiter Dei Patris sanctitatem ei conveire, a qua summa etiam sanctitas in humanitate Christi effluit: quare quomodoecumque ethymolo-

gia huius nominis *Sanctum* perpendamus, hand difficile erit ostendere quam apte *Sancti* epithetum, quod *nominis* tribuit Maria, Verbo incarnato conveniat. Bada *sanctum* idem ait esse, quod *separatum*, aut *segregatum*; unde Hebraeorum nomen *Kados*, quod ei respondet, interpretatur purissimum, quod idem est, quod ab omni munditia separatum, seu segregatum: in Graeco vero correspondet *Agios*, quod interpretatur, *sine terra*; constat autem, quod hac ratione Christus Dominus a d. Paulo vocatus est, *segregatus a peccatoribus*, et *excelsior coelis factus*. Sanctum etiam, ut aliis placet, originem ducit a *sancire*, quod in rigore interpretatur, *Sanguine confirmare*, ut saepe apud antiquos Scythas, Arabas, Medos, Garamantas, Lydios, imo et apud Hebraeos contingebat, iuxta illud (Eccl. 34): *Hic sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum*. Imo secundum catholicos sanctum idem est, quod *sanguine tinctum*: quia autem non videat, dum Verbum divinum carnem assumpsit, humano sanguine tinctum? unde *vir Sanguinum* dictum est Exod. 4 et Isai. 63 de Christi humanitate dixit, *rubrum est vestimentum suum*. Atque hinc est, iuxta praefatam expositionem, et nos erudit, quin nomen Dei vocale, aut scriptum, instar imaginis ipsius, adoratione dignum sit, iuxta illud Pauli (Philipp. 5): *In nomine Iesu omne genuflectatur, etc.* ut tamen Episcopus Christopolitanus (super Magnificat) docuit: *Quando dicitur Genes. 4. quod Enos coepit invocare nomen Domini*, et cap. 12. *quando Abraham adificavit altare, et adoravit nomen Domini, ibi non est dicendum, quod Enos invocaverit, nec Abraham adoraverit illud nomen vocale quatuor litteris prolatum, aut descriptum, sed adoraverit Verbum incarnatum Deum, et hominem, per illas quatuor litteras significatum*. Ibidem etiam haec praecleara scripsit, quae quia dictam expositionem mirifice illustrant, hic apponere molestie non feram: *Hoc est nomen Dei, quod desiderabant videre patriarchae, et prophetae, quod non potuit videri, nec revelari nisi in novo testamento; sed quia Moysi desideranti videre istud nomen Dei, scilicet Verbum incarnatum, quod erat, venturum in mundum cum omnipotentia, et humana sapientia, et iustitia, et misericordia, ideo scripsit ipsum quatuor litteris hebraicis, scilicet, iod, he, vau, he: et sic cum istis quatuor litteris reperitur nomen Dei scriptum in tota Scriptura legis, et prophetarum in Hebraeo. Quae quidem quatuor litterae solae sumptae non formant aliquam notam dictionem, ad denotandum nomen Dei, quod significabant, esse incomprehensibile sed ubicumque reperitur nomen Dei, istis quatuor litteris scriptum, ipsi Hebraei pronuntiabant, et pronuntiati Adonai, idest, Dominus omnipotens. Et ideo dicunt, quod istud nomen Tetragrammaton, idest, quatuor litterarum, est ineffabile quod ea quae comprehendit, et significat, eo quod significabat per quatuor litteras ista quatuor incomprehensibilia, quae sunt in Christo, scilicet omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, et iustitiam. Sed si istae quatuor litterae recte combinentur per puncta, quibus Hebraei combinant litteras in scriptura, tunc reddunt istud nomen hebraeorum Iehosuah,*

quod graece dicitur *Isus*, et latine *Iesus*, quod est salvator, sive *Salvator*: et sic ubicumque in hebraeo scribitur hoc nomen Iehosuah, in latina interpretatione scribitur *Salvator*, aut *salvatore*, sive *Iesus*. Et ideo sicut Hebraei per illud nomen tetragrammaton, idest, quatuor litterarum, nominant Deum, et nomen eius, ita nos per hoc nomen *Iesus* ex illis quatuor litteris combinatum, nominamus Verbum incarnatum, quod est nomen Dei reale, quo Deus se nominavit, et notificavit mundo. Et sic, sicut illud Verbum incarnatum est nomen Dei reale, quo ipse Deus pater nominavit se ipsum mundo, ita hoc nomen *Iesus* vocale, vel scriptum est nomen, quo nos nominamus illud Verbum incarnatum Deum, et hominem, quod est nomen Dei, quo ipse se nominat: quod quidem nomen non fuit mundo cognitum, nisi vocat ad adventum Christi, quando Angelus dixit Mariae: *Eccce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum*.

Porro ut proposita Virginis verba ad mores convertamus, observandum est, scilicet deiparam Mariam potentiam cum sanctitate copulavisse, dum ait (Luc. 3): *Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius*, ut nos erudit, imperium, et potentiam absque consortio sanctitatis tyrannidem esse: Pharaon quidem, Nabuchodonosor, et Antiochus, Nero, Caligula, Diocletianus, et alii perempti imperatores famosi potentissimique fuerunt: quia tamen sanctitate caruerunt, tanquam impii tyranni tam in propriis, quam in extraneis saevierunt. Certe regum, ac principum cor tale debet esse, quale illud depinxit Salomon, cum potentia pariter, et sanctitate ipse vigeat (Prov. 21): *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini*; quocumque voluerit, inclinabit illud: quasi diceret: sicut ad irrigandos, ac fecundandos agros, non ad perdendos dividi solent, ac fluere aquae, sic regum corda non ad vastandos, sed ad tuendos, ornandos, et loquentes populos moveri debent: et quemadmodum aquae derivantis ductum, ita cor regis voluntatem Dei sequi debet: sicut etiam primum mobile, cui reliqui parent coeli, angelo moventi pareat; ad eundem modum rex, qui instar primi mobilis, suo motu, et imperio subditos rapit, ac circumfert, Deo ipsi obsecundare debet, et ut alter David esse, qui faciat omnes voluntates eius, et servet omnes eius leges. Quamobrem (in Deuter. 17) praecipit regi Deus, ut legis librum apud se habeat, ac legat: *Postquam sederit in solio regni sui, describit sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticis tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, et custodire verba, et caeremonias eius, quae in lege praeccepta sunt*. Ille factum est, ut regi, cum coronabatur, legis liber traderetur (4. Reg. 11): *Producitque filium regis, et posuit supra eum didactem, et testimonium, id est legem, feceruntque eum regem, et unxerunt*. Cum diademate legem coniungit Scriptura: divina enim leges, ac mandata si a rege observantur, fulgentissimi sunt propyri, qui regis diademata illuminant. Praeterea dicitur summus sacerdos testimonium.



id est legem, *super regem imposuisse*, super regem, inquam, quod oportet regem legi subiectum esse, atque obtemperantem. Solent reges consiliarios habere multos, quorum consilia sequantur: optimi consiliarii, qui consilia dando, nec fallunt, nec falluntur, divinae leges sunt: quocirca rex David (Psal. 118): *Consilium, ait, meum, iustificationes tuae*: ex Hebraeo verti potest: *Testimonia, sive, mandata tua, viri consilarii mei*: Hieron. vertit: *Viri amicissimi mei*. O fidelissimos illos reges, qui animi effraenatas perturbaciones, virosque improbos, quibus illae dominantur, e suo consilio pellunt, his vero consiliis obtemperant. Memorare debent principes, quod sunt veluti populare normam, et regulam, regulam autem ream esse oportet: unde Plutarchus (in lib. de doct. Princ.) inquit: *Quemadmodum oportet, ut ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquum, deinde caetera sibi admoda, quatenus si congruant, exaequet: consimili modo Princeps, posteaquam imperium in se ipso paraverit, ac dixerit, vitamque suam composuerit, tunc debet sibi cooptare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis est altum erigere, nec ignorantis docere, nec inconstituti componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui non pareat imperio; haec ille. Rex probus regula est recta, rex pravus regula distorta et prava, ad quam qui mores coaptant, depravantur, distortamque vitam tradunt; quare sicut fermentum massam, ita impius rex populum corrumpit; unde apud Oseam Ieroboam rex dicitur israeliticum populum fermentasse, quia per idolorum cultum illum corruptum (Osee 7): *Quievit paululum civitas a comminatione fermenti, donec fermentaretur totum*, hoc est quievit civitas paululum, postquam fermentum idololatricae a Ieroboamo rege accepit, donec eodem fermento tota vita fermentata, atque corrupta. Idem rex, eodem capite, cum pistore confertur ad coquendos panes cibarium succedente: *Omnes adulterantes, ait Deus, spiritali scilicet adulterio idololatricae, quasi cibarius succensus a coquente, id est a rege Ieroboamo. Pistor est caecodemoni rex impius, qui hominum corda velut cibanos, tartareo vitiorum igne succendit, et panes caecodemoni suavissimos, id est peccata, coquit. Huiusmodi infelices reges, et principes audiant verba Sapientis acriter eis minantis (Sapient. 6): *Præbete aures vos, qui contumelias multitudines, et placetis vobis in turbinatationem: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, nec secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum tuis, qui praesunt, fiet. Timeant ergo reges durissimum hoc iudicium, ne in summa potestate summa sit licentia, libertasque vendi: nam, ut ait Ambrosius (in apolog. David in cap. 3): *Lubrica est in bonis moribus licentia potestatis, et oblatio facultatis: lubricus locus est regnum, adeo ut in eo collocatus sanctus David in adulterium lapsus sit. Quamobrem freno timoris Dei opus est regi, quo****

potestatis libertatem coercet. *Difficile est, ait d. Isidorus, principem regredi ad melius, si vitis fuerit impunctus: populi enim peccantes iudicem metuunt, et a malo legibus cohibentur; reges autem, nisi solo Dei timore, metumque gehennae coercentur, libere in praecipis prorunt, et per abruptum licentiae in omne facinus labuntur: haec ille. Timeant igitur et contremiscant oportet principes, quod Deum iudicem et vindicem habeant, cuius sola manus paucos in pariete characteres exarans, potentissimos terrere fecit reges. Audi Danieleum (c. 5): *Apparuerunt, inquit, digiti, quasi manus hominis scribentis. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes eius conturbabant eum, et compages renum eius solcebantur, et genua eius ad se invicem collidebantur. O regem babilonicum imperii potentissimum, manus parva, non hausta, et gladio, sed tenui calamo armata, tantum tibi terrorem iniecit! tantum certe, quia manus est omnipotentis Dei, ab omnibus regibus rationem severe exposcens. Tria verba scripsit manus illa, regibus cunctis assidue animo volenda, Mane, Thecel, Phares. Illa Daniel hanc in modum exposuit: *Mane: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud: Thecel: appensus es in statera, et inventus es minus habens: Phares: deicisum est regnum tuum, et datum est Medis, et Persis. Utinam sicut manu illa in aula regia babilonici imperii haec inscripta fuere, nunc etiam a regibus in palatiis haec eadem inscriberentur, frequenter consideratione expendere! Mane, numeravit Deus regnum regis, et numeravit dies quibus est regnaturus, et paulo post e vita et regno migrare iubebit. Thecel, appensus es in statera divina, o rex: appendit Deus recte facta, appendit quoque mala opera, appendit in statera virtutes rege dignas, appendit vitia rege indigna. O illum infelicissimum, qui invenitur minus habens, o illum infelicissimum, qui iustitiam, pietatem, Dei cultum, fidem, charitatem, reliquasque virtutes iusti, ac recti habuisse ponderis reperitur; et regno hic temporario in aeternum transferretur: qui vero in silio, debitoque pondere careret, misserrimamque, aliisque tradito in perpetuum, misserrimamque Orci servitutum delatretur. Haec qui frequenti meditatione animo vertit, vigilantia cura rempublicam administrat, exemplo ad virtutem subditos ducit, recte facta recte factis perpetuo cumulat, ne in statera debitum pondus desit, et de coelesti regno per supremum omnium Iudicem excludatur. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.***

## HOMILIA XIX.

*Explicantur verba illa: Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum: ubi ostendimus b. Virginem per misericordiam beneficium incarnationis intellexisse; pariterque de timore serviti, et filiali pertractatur.*

Cum proprium sit charitatis, qua sancti diligunt proximos sicut seipos, iuxta divinum praeceptum (Matth. 5): *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, eorum bona tamquam propria reputare, utpote qui per charitatem facti sint cum illis cor unum, et anima una, ut loquitur d. Lucas (in Actis Apost.): hinc est quod b. Virgo, quae inter omnes puras creaturas perfectiorem charitatis gradum attingit, beneficia facta universo orbi quasi sibi collata illa reputans, pro his etiam gratias agit, Deumque magnificat, et propter eandem exultat spiritus eius: unde postquam gratiam se exhibuit Deo propter beneficia sibi collata: *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, confitendo gratias refert propter beneficium divinae misericordiae eius a progenie in progenies timentibus eum. Unde observatione dignum est, quomodo egregium ordinem Deipara servavit in suo cantico; primo enim tractat de fonte, deinde de aquaeductu, tandem de agris, in quos aquae illae derivantur: primo dixit: *Magnificat anima mea Dominum: ecce misericordiae perennem fontem: deinde ait: quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce Mariam aquaeductum, per quem divinae gratiae fluentia dirigitur: ac tandem ait: a progenie in progenies timentibus eum: ecce signat agros, ad quos fluentia illa derivantur. Theophylactus per haec verba intelligit significari, quod timentes Deum consequuntur misericordiam tuam in hac generatione, hoc est, in praesenti saeculo, in futura generatione, hoc est, in futuro saeculo: in hac enim centuplum accipiunt, in illa vero vitam aeternam possidebant. Alii cum Cardinali Toletio (super c. 1. Luc.) intelligunt verba illa de successione generationum solius populi iudaici. Alii vero interpretantur sensum esse, quod misericordia Dei incipit a progenie Iudaeorum, et pervenit ad progeniem Gentilium: sed planior sensus est, et verior, ut universas nationes, et aetates comprehendat, Davide dicente (Ps. 118): *Misericordia Domini plena est terra, adeo ut non sit qui se abscondat a calore misericordiae eius. Illa exponit venerabilis Beda (hom. serm. sextae ante quartam Dom. adv.) dicens: Progenies autem, et progenies velut utriusque populi, Iudaei videlicet, et Gentilis appellat, vel certe omnium per orbem nationum, quas in Christo credituras esse praevidebat. His adiungit Euthymium (in cap. 1. Lucae) opinantem, a progenie in progenies idem significare in Hebraeo quod semper: unde sensus erit, quod in omnes homines indeficiens erit eius misericordia et perennis. Illud tamen praecipue in his verbis expositionem desiderat****

rat, quod sub nomine *misericordiae* beata Virgo intellexit: quidam enim doctores, quos sequitur doctissimus Beuxamis (to. 1. super cap. 1. Lucae), nomine *Misericordiae* intelligit divina beneficia, quae Deus munificentissima manu omnibus nationibus confert: *Incepit tu, inquit ille, a primo homine: quidam ipsum post peccatum mors corporalis, et aeterna vindicaret prohibuit, nisi Dei misericordia: quid Noe a diluvio, Loth ab excedio, Abraham ex Hur Chaldeorum, Iacob ab Esau, Iosephum a carcere, populum ab aegyptiaca servitute, eundem ex babilonica captivitate eripuit, nisi Dei misericordia? ac tandem, ut David (Ps. 88) dixit: *Misericordia Domini in aeternum usque in aeternum*; quasi diceret: non est misericordia divina instar humanae, quae solum extenditur ad proxima, non ad remota, sed in omnia se diffundit, Ecclesastico dicente (c. 18): *Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem. Gessit tyrum huius amplissima misericordiae flumen, quod e medio paradisi progrediens in quatuor capita divisum universam terram irrigabat: sicut enim illa irrigatio paradisi his omnibus modis potuit fieri, ut post alios multos adnotavit Pererius (sup. Genes.), ut vel flumen illud multos sinus, et anfractus faciens, usquequaque paradisi allueret, et irrigaret; vel ut ex eo complures alvei ducerentur, et in omnes paradisi partes derivarentur; vel ut instar Nilii, ac Iordanis stalis animi temporibus angustens et superfluentis, paradisi inundaret, atque irrigaret; vel denique, ut per subterraneos meatus universam paradisi terram humore suo perfunderet: ita omnibus his modis divina misericordia mortalium animos irrigat, aequo foecundat: aliquando enim divina gratia per secretissimos quosdam meatus, atque internas inspiraciones perfundit mentem hominis; aliquando varias per tribulationes, et anfractus, faciens, ut eis illis deinde consolationum aquae deducantur ad animam refocillandam, ac recreandam; plerumque vero per variarum virtutum alveos complures deducit; denique adeo interdum inundat, et augecit, ut omnem terrenam conversationem homo deponens cum d. Paulo dicat: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus. Verum communior et receptor Patrum sententia est, beatam Virginem sub nomine misericordiae hoc loco intellexisse beneficium incarnationis: unde d. Augustinus (in expos. hu. cant.) inquit: *Haec illa misericordia, quam timentibus se exhibuit Deus, quia Verbum suum per assumptionem carnis in hunc mundum misit, ut per ipsum aereas potestates potenti virtute debellaret, et genus humanum ab eorum potestate redimeret. D. Ambrosius (in apolog. David posterior. cap. 12) in hoc etiam sensu explicat verba illa: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, dum ait: Magna misericordia, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ac tandem d. Hieronymus verba illa psalmi: *Miserere misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te, ipse vertit: *Mirabilem fac misericordiam tuam; est autem notissimum in nullo opere Demum opt. max. mirabilem magis misericordiam suam reddi-*******



disse, quam in stupendo incarnationis prodigio: ante illam enim sublebat Dens hominum miseria absque labore ullo, post incarnationem vero multis doloribus, instar parturientis, nobis opem tulit; quod eximiae, ac mirificae misericordiae evidens argumentum est. Ino, si rem altius perpendamus, reperimus Deum nunquam ostendisse misericordiam rigorose loquendo, quousque in utero virgineo Verbum caro factum est: nam, ut tradidit d. Thomas, misericordia, praeter efficacem voluntatem sublevandi alienam miseriam, importat compassionem eiusdem miseriae: unde d. Isidorus (*lib. ethym.*) dixit, misericordiam esse, quasi *miserum faciens cor*. Cum igitur Deus ante incarnationem non potuisset habere huiusmodi cordis compassionem; incarnatus vero frequenter hominum miseriae compassus fuerit, Apostolo dicente (*ad Heb. 4*): *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*; consequens est misericordiam complete, et perfecte non fuisse in Deo ante incarnationem, sed post illam. Unde non incongrue existimaverim, quod licet misericordia, sicut et caetera divina attributa omnibus divinis personis aequae conveniant, speciali tamen ratione Filio ascribi debet, non solum per quamdam attributionem, et accommodationem, ad eum modum, quo potentia Patri, et bonitas Spiritui sancto aptari solet, sed quia revera nec Pater, nec Spiritus sanctus, sed solus Filius in cruce pro nobis mortem subit ad sublevandum universalem humani generis miseriam, et a diabolica captivitate eus misericorditer liberandum. Atque huc spectant ad eandem expositionem confirmandum verba illa Davidis, quibus postulans a Deo, ut ostenderet sibi Filium suum humana carne indutum, dixit (*Psal. 84*): *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, quod perinde fuit, ac si diceret, ut exponit Nicolaus de Lyra (sup. c. 1. Luc.): Ostendisti potentiam in creatione mundi de nihilo, et sapientiam tuam in mundi gubernatione, et iustitiam tuam in peccatorum punitione, sicut in diluvio, et submersione Sodomae, et Gomorrhae; ideo nunc ostende nobis misericordiam tuam in Filii tui incarnatione*. Fuisse autem hanc summam misericordiam, ex eo non obscure probari potest, quia praeter quam summa erat miseria, a qua nos sublevavit, est adeo gratuitum beneficium, adeoque mera gratia, ut nec sub merito Christi ceciderit. Divina quidem praedestinatio, prima gratia, necnon et donum perseverantiae, licet non cadant sub merito nostro, ut communi consensu docent theologo cum d. Thoma (1. 2. q. 114. art. 3), Christus tamen Dominus, ut iidem fatentur, causa fuit meritoria nostrae praedestinationis, primae gratiae, et doni perseverantiae; nam tamen incarnationem nec meruit, nec potuit mereri, ut cum angelico Doctore (3. p. q. 2. art. 11. et de ver. q. 29. art. 6) theologorum schola edocet: cum ergo incarnationis beneficium adeo pura, ac mera gratia esse perhibeatur, reliquum est supremum misericordiae gradum attingisse, ut et Pauli (1. Tim. 3) verba satis indicant: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*: unde Zacharias magni Baptistae parens,

non potentiae, non sapientiae, sed misericordiae incarnationis opus attribuit (*Luc. 1*): *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*. Ad haec illud dicere non parcam, quod in quocumque sensu sumatur verbum *illud misericordia*, sive pro beneficio vocationis, et divinae illuminationis, sive pro beneficio incarnationis, non aliter, quam per Virginem illam praestitit nobis Deus; ut enim ex regione Eden, ut Hebraei notant super Genesim, flumen quod Deus posuit in paradiso, originem trahens, per ipsum paradisi cursum suum dirigebat, ut non solum illum irrigaret, sed et partes illi confines, et circumdantes; ita divinae misericordiae flumen, per Mariam, tamquam per secundi Adam paradisi, transit ad irriganda hominum corda; unde quaestioni illi propositae sancto Iob (c. 33): *Dic mihi, si habes intelligentiam, per quam viam spargitur lux, et dividitur aëstus super terram? abunde satisfecisse arbitrari, dicendo beatam Virginem esse viam, per quam lux haec spargitur, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et per quam aëstus divini amoris aestus Ecclesiae filiis dividitur*: nam, ut dixit Bernardus (*sup. Missus*): *Nihil nos voluit habere Deus, quod per manus Mariae non transiret*: unde et Ecclesia ipsa ei canit: *Tu Regis alti ianua, et aula lucis fulgida*.

Exponamus iam verba illa: *timentibus eum*. In his tria praecipue nobis explicare incumbit: primum est, quare magis dixit misericordiam Dei communicari *timentibus*, quam creditibus, quam sperantibus, ut diligentibus eum: secundum, de quo genere timoris hic loquatur: tertium est, quomodo beata Virgo equatut misericordiam Dei ad timentes Deum, cum etiam ad non timentes se diffundat, Christo Domino dicente (*Matth. 5*): *Qui solem suam facit oriri super bonos, et malos*. Ad primum Cornelius Iansenius (*in sua concordia c. 4*) in haec verba respondet: *Apte dicit potius timentibus eum, quam obedientibus ei, aut diligantibus eum, quia prius de Dei potentia, et sanctitate cecinit, quibus respondet in nobis timor, et reverentia Dei*. Bene quidem; sed melius meo iudicio respondetur, consultissime beatam Virginem dixisse, misericordiam communicandam esse timentibus Deum, quia cum ex illa soleant homines ea abulentis ansam sumere ad licentiosum vivendum, ideo misericordiae timorem adiecit, quasi froentum ad compescendam hominum petulantiam, qui ex immissione Dei misericordiae consideratione, vana fiducia deiecit ad peccandum quotidie, proh dolor! prioribus redduntur: ad quod alludens Ecclesiasticus (c. 5) dixit: *Ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur*. *Misericordia enim, et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius*. Unde ad hanc rem, dignam illam Salomonem sententiam esse arbitrator (*Proverb. 25*): *Mel invenisti? comede, quod sufficit tibi, ne forte satietis, evomas illud: favus mellis est Verbum incarnatum, quem casta apis Maria, concubitus, instar apum, nesciens, coelesti Spiritus sancti rore decidente, ex propria substantia illum preduxit; unde*

Christo nato dictum est: *Hodie mellifluis facti sunt coeli*: ait ergo Salomon: dulcissimum huius tantae misericordiae mel invenisti? comede, quod sufficit tibi, ne adeo temere confidas in hac tanta miseratione, ut inde licentiam sumas ad differendum pristinae vitae poenitentiam, aut in nova prolabendum peccata.

Ad secundum quaesitum, de quoniam timore b. Virgo hic loquatur, praetermissa illa Episcopi Christopholiani (*in exop. sup. Magn.*) timoris divisione, ubi ait: *Quadruplex potest esse timor, servilis, filialis, castus, et sanctus; aliter enim timet servus, aliter filius, aliter uxor, aliter vir iustus: servus timet facere malum, ne verberetur a domino; filius vero timet patrem, ne privet ipsum haereditatem; uxor vero timet virum, ne separetur, et dimittat illum; sed vir iustus, et sanctus timet peccare contra Deum, non propter aliquod proprium interesse, sed ne displiceat Deo, quem diligit in se, propter se, et super omnia: hac inquam omnia divisione, bimbrem partitionem inter theologos celebrem in medium adducam, timoris servilis, et filialis, cuius in haec verba meminit divus Hieronymus (*lib. 1. in c. 1. Fro. tom. 8*): *Duo sunt timores Domini: prior servilis, qui principium sapientiae vocatur: secundus amicalis, qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor servilis principium sapientiae est: quia quisquis post errorem delictorum sperere incipit, timore dicitur corrumpitur, ne ad tormenta ducatur. Sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi, quem non excludit, sed auget charitas. Ipse est, qui timet filius bonus, ne vel in modico oculo amantissimi patris offendat. Timorem quidem servilem, quo quis ob gehennae poenam, aut extremi iudicii severitatem perterritus, a peccatis se abstinet, licet multi haereticis damnant, sacrum tamen concilium Tridentinum (ses. 6. can. 8) ad exemplum Nivitarum respiciens, qui poenae timore percali ad Ionae praedicationem poenitentiam egerunt, damnantes illum his verbis anathematizat: *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis delendo confugimus, vel a peccatis abstinemus, esse peccatum, aut peccatores facere, anathema sit*. Et quidem sacrum Concilium videtur mihi hanc doctrinam aperte deduxisse ex verbis Christi Domini (*Matth. 10*): *Time te eum, qui postquam occiderit corpus, testem corpus, et animam mittere in gehennam iugis*. Unde et hoc genus timoris laudat vehementer Patres, praecipue d. Gregorius, et d. Chrysostomus; ille enim (1. 2. Mor.) ait: *In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur: nam sicut in via saeculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit; et sicut in via saeculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit*. Divus autem Chrysostomus (*homil. 25. ad pop. Antioec. tom. 5*) in hunc modum loquitur: *Nisi bonum esset timor, filii patres paedagogos non praeparerent, non leges cunctis vultus ullos magistrarent. Quid gehenna gratius? Sed huius metu nil utilius. Gehennae namque timor regni nobis offert coronam. Ubi timor est, livor non est. Ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas im-***

*proba correpta, omnis irrationabilis passio extirminata. Et sicut in domo, stante milite semper armato, non latro, non alius qui talia mala patrum apparere propius audeat, sic et metu animas nostras detinente, liberalium nulla perturbationum facile nobis subrept, sed omnes fugiant, et pellantur, timoris imperio undique exactae. Itaque voluit isti Patres, quod licet timor servilis sit imperfectus, est tamen via, et principium ad perfectum timorem: sicut enim acus se habet ad filium, quia perforando frahit ipsum, contingendo panem unum cum altero, et missa acu foras manent partes panni consutae, et vincula per filium, ita similiter timor servilis formidine futurae poenae pungit cor hominis penetrans, et exinde trahit secum ad timorem filialem, per quem, quia hic habet charitatem sibi adiunctam, manet animo hominis Deo adhaerens, et quasi cum illo consuta.*

Praeter hunc servilem timorem est alius filialis, quando quis non propter poenam, quam Deus peccanti minatur, sed propter vitandam Dei offensam abhorret peccatum; discernit autem inter hoc filialis, et illius servilis timoris genus d. Augustinus (*in Psal. 117*) haec egregia similitudine utens, hoc constituit: *Poenae, inquit, aliquam formidinem castam, timentem virum; aliam poenae adulteram, et ipsa timet virum. Casta timet, ne discedat vir, adultera, ne veniat. Sed hoc etiam multo clarius idem Augustinus (*tract. 9. in epist. Ioann.*) non potest, inquit, melius explanari, quid intersit inter duos timores, castum, et eum quem charitas foras mittit, quam si ponas duas maritatas, quarum unam constitutus volentes facere adulterium, delectari nequitia, sed tamen ne damnetur a viro, huic onerosa est viri praesentia: tales sunt qui timent, ne veniat dies iudicii, ne damnetur: fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, et nulla se adulteri immunditia maculare, optat praesentiam viri. Utraque timet, vox una, diversus animus: illa timet, ne veniat; ista ne discedat. Huius filialis timoris fructus adeo uberes, et copiosi sunt, ut vix in numero redigi valeant: nam ille imprimis iuvat ad credulitatem divinorum arcanorum, iuxta illud (*Ecl. 2*): *Qui timent Dominum, non erant incredibiles verbo eius. Confert scientiam (*Ecl. 1*): Plenitudo scientiae timere Deum. Praebet sapientiam (*Psal. 110*): Invitum sapientiae est timor Domini. Illuminat mentem, et tenebras pellit (*Malach. 4*): Orietur vobis timentibus nomen meum solum iustitiae. Confert bonorum spiritualium uberatorem (*Tobiae 4*): Pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si temerimus Deum: verum non solum spiritualium, sed et temporalium (*Psal. 24*): Non est inopia timentibus eum. Timor Domini fugat peccatum, Ecclesiastico dicente (c. 1): *Timor Domini expellit peccatum*. Prohibet in nova prolabi peccata (*Proverb. 15*): *Per timorem Domini decedunt omnis homo a malo. Ingerit animae dulcedinem (*Psal. 30*): Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te. Confert stabilitatem (*Psal. 24*): Firmamentum est Dominus timentibus eum. Confert incunctitatem, et delectationem (*Ecl. 1*): *Ti-****



## HOMILIA XX.

mor Domini delectabit cor. Præbet animi fortitudinem (Ecles. 34): Qui timet Dominum, nihil trepidabit. Communicat pacem, et tranquillitatem (Proverb. 13): Qui timet Dominum, in pace versabitur. Irrigat animam fluentis coelestibus (Proverb. 14): Timor Domini fons vitæ. Fœcundat illam, ac bonorum operum felices eam parituri facit (Isaia 16): A timore tuo Domine concepimus, et quasi parturivimus spiritum salutis. Tandem hic filialis timor adeo perfectus esse perhibetur, ut in beatis Deo fruentibus, cessante fide et spe, ipse non cesset, sed in æternum perseveret, Davide dicente (Psal. 18): Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: et Ecclesia canente: Tremunt potestates, coeli, colorumque virtutes: unde cum d. Hieronymus (lib. 1. in cap. 1. Proverb. tom. 4) inquit: Uterque autem timor in futura vita cessabit, claritas vero nunquam excidit, sed in plantatione sapientiae perpetua manebit, intelligendus est loqui non de dono ipso habituali timoris filialis, cum hoc certum sit manere in patria, sed de actu illo, quem iustus elicit in via, timens a Domino separari: hic enim cessabit in patria, cum per visionem beatificam omnino certificentur beati nunquam a Deo separandos fore: quare ipsi timorem solum exercent, dum divinam maiestatem incessanter reverentur, quem actum beata Virgo frequentissime etiam exercuit in via, non vero primum, quia cum agnosceret se factam impeccabilem per plenitudinem gratiæ sibi infusæ, non poterat timere separari a Christo Domino. Adeo autem in ea viguit filialis timor, ut se matrem illius esse affirmaret: Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitiois, et sanctæ spei. Ad rem ergo nostram redeuntes, quamvis Hugo Victorinus existimaverit, beatam Virginem in prædictis verbis, misericordia eius a progenie in progenies timentibus eam, locutam fuisse tam de timentibus timore servili, quam filiali, verius tamen esse arbitror cum nostro Nicolao de Lyra, hunc locum intellexisse de casto, et filiali timore: nam licet Dei misericordia in incarnationis beneficio se diffundat in omnes quoad sufficientiam, quoad efficaciam tamen actualis sanctificationis non se extendit, nisi ad iustos tantum, Deum timentes timore filiali.

Ad ultimum tandem quaesitum, quomodo b. Virgo limitaverit misericordiam Dei ad timentes se, cum etiam non timentes innumeros suæ misericordiae effectus quotidie experiantur, ex nuper dictis facile respondetur, beatam Virginem locutam fuisse, non de communicatione misericordiae quantum ad sufficientiam, sed quantum ad efficaciam; efficaciam autem non communicat iustificationis misericordiam, nisi timentibus Deum; cui sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

In illa verba: Fecit potentiam in brachio suo, ostenditur Verbum divinum incarnatum esse Dei brachium, in quo, et per quod Deus potentiam suam mirifice ostentavit.

Quamvis Dei brachium, fortitudinem, ac virtutem divinam ad magna patrandi in sacris quandoque eloquiis denotare soleat, ut constat ex illo (Exodi c. 6): Educam vos de ergastulo Aegyptiorum, et eruum de seruitute, et redinam in brachio excelso: et ex illo (Psal. 43): Brachium eorum non salvavit eos, sed deactera tua, et brachium tuum: et in hoc sensu beatam Virginem hoc loco locutam fuisse putaverint venerabilis Beda (seria 6. ante 4. Domini. Advent.), Euthymius (super c. 1. Lucae), et Eusebius Emissenus (hom. seriae 6. ante 4. Domini. Advent.) dicens: Fecit potentiam Dominus in brachio suo, id est, in virtute, et fortitudine sua, quia diabolum vicit, et infernum spoliavit, et sanctorum animas secum ad coelestia vexit. Divi tamen Augustini (lib. de essen. div. ver. et sup. Ioann. tract. 53), sancti nostri Patris Bonaventurae (in cap. 1. Lucae.), Fulgentii (lib. 3. Thym.), Athanasii (li. de comm. essen. Patris, Filii, et S. S.), Eusebii (lib. 3. de præparat. evang. cap. 2), Tertulliani (lib. contr. Prax.), Gregorii (lib. 32. Mor. cap. 20), Cyrilli (lib. 8. in Ioann. c. 6), Cardinalis Caietani (sup. cap. 1. Lucae), Lyrani (super cap. 1. Lucae), Glossæ interlinearis, Rupertii Abbatii (lib. 2. super Matth. cap. 20), Hugonis Victorini (super Magnific.), et aliorum Patrum interpretationem sequutus, arbitrator Deiparam Mariam, quae tunc temporis, præcipue cum cœcino hoc canicum, tota erat in incarnationis consideratione immersa, per brachium Dei Verbum divinum incarnatum intellexisse; in quo sensu frequentissime in sacris literis Dei brachium usurpari video: ait enim David (Ps. 70): Donec annunciet brachium tuum generationi omni, quæ ventura est. Isaia etiam (cap. 40) inquit: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur: ac tandem d. Ioannem dixisse novimus (cap. 12): Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiaæ prophetae impleteretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini, cui revelatum est? Ece apertissime sub nomine brachii intelligit Apostolus Verbum divinum incarnatum. Unde hæc perpendens d. Cyrillus Alexandrinus (li. 8. sup. Io. 10) inquit: Satis autem constat, brachium Domini ipsum Dei Filium nuncupari, qui virtus est Patris: quomodo, in cantico sacrosanctæ Virginis dicitur, fecit potentiam in brachio suo; et crebro apud prophetas hoc pacto sumitur. Non quidem quod Deus Pater figura carnis humanæ detineatur, sed quia per ipsum Filium facta sunt, ideo brachium Domini dictum est, quandoquidem homines potissimum operandi vim brachiis exercent: si enim homo tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui, quod diceret, feret, brachium eius, cer-

tum ipsius esset. Quam autem apta hæc sit metaphoræ, multa, et quæ præclara mihi ostendunt: ut enim brachium a corpore procedit, et a brachio digitus, quæ tamen cum ipso corpore eiusdem naturæ et essentiae sunt; sic a Patre Filius procedit, et Spiritus sanctus a Patre per Filium; ad eiusdem naturæ, et essentiae tres inveniuntur esse personæ. Deinde brachio operamur ardu opera; et Filius Dei universa, quæ in mundo continentur, tam magna, quam pulchra, atque ordinata brachio suo condidit, iuxta illud (Ioan. 1): Omnia per ipsum facta sunt: unde Dionysius (sup. c. 1. Luc.) dixit: Pater universa creavit per ipsum, redemit mundum, stravit diabolum, fregit infernum, operavit coelum, per ipsum quoque infinita fecit miracula. Deinde sicut brachium ex tribus substantiis coalescit, carne, osse, et medulla, ita Verbum incarnatum constat carne, anima, et Verbo divino: et sicut suppositum humanam carne ipsa tamquam instrumento coniuncto ad exercitium humanarum operationum utitur, ita suppositum Verbi divini humana carne Christi, tamquam instrumento non separato, sed vinculo unionis hypostaticæ coniunctissimo, ad excellentissima opera exercenda utebatur. Ad hæc, sicut brachio nostro sustinemus infirmos, ac pueros, ita Deus Verbo suo omnia condita sustentat, quibus alioquin si ipse non supponeret manum, et brachium suum ad eorum conservationem, in nihilum prorsus abirent. Item, sicut brachio amplectimur in signum amoris, ita brachium Dei in peccatores extenditur ad eos benigne excipiendos, charitableque sua amplexando; super in redeuntis filii prodigi collum brachia superextendit, dicente Luca (c. 11): Cecidit super collum eius: generaliterque id censetur fecisse, quando humanam naturam per unionem hypostaticam est amplexatus. Sicut etiam brachium membrum est musculis, nervis, atque lacertis plenum, ac proinde ad pugnandum, et protegendum robore ac fortitudine præstans, ita Dei Verbum, humana carne indutum, ad congressum et luctum cum daemone in crucis palestram veniens eum superavit, et tamquam fortius illo, fortis armati arcem ingrediens, universa eius arma abstulit, et spolia quoque pretiosa diripiit. Sicut item brachium extendi solet tum ad puniendum, aut percutiendum, tum ad sublevandum et auxiliium impertiendum, ita Deus per Verbum incarnatum tamquam per brachium suum, potenter auxiliatur, ac defensionis opportunitatem opem fert (Deut. 32): In brachio suo defendit illos. Quandoque punit, percutit, atque profligat (Exod. 15): Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui. Unde Isaia (c. 48) hæc brachii metaphora utens ait: Faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldaeis, in quæ verba d. Hieronymus ait: Dominus per Cyrum, et Darium brachium suum exercuit in Chaldaeos, nempe per bella, illos expugnavit. Sic Deus per Christum, tamquam per brachium Dei, omnem idololatram per apostolicam prædicationem in variis regionibus expugnavit, sopivit, immo et penitus extinxit, iuxta illud Isaia (c. 51): Me insule expectabant, et brachium meum sustinebant. Bra-

chium, inquam, omnes profligans idolorum cultores, brachium fortiter pugnans, et expugnans humani generis hostes, brachium evagiatum gladium tenens, de quo Christus dixit (Math. 10): Nolite arborari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Origenes (hom. 5. in Ezech. in prin.) gladium hunc intelligendum esse autumat ad instar romphææ, quæ angelus custodiebat paradisi: hunc gladium misit Christus in terram, ut divideret et rescicaret omnes carnis affectus, ac omnem animæ inhaerentem putredinem adreteret, et consumeret: verba eius ob insignem doctrinam, quam præserferunt, minime silentio obvolvam: Quis est iste gladius, id est, romphæa, quæ nos formidare debemus, non quando militatur super terram nostram, super quam figuratiter concepimus, ut nobis necesse sit transire per gladium duplex: aliquid habentem in poemam? Habitus quippe ipsius gladii dividit, et secat eum, in quem fertur; si vero ad acumen aciei eius etiam tactus ipse poenalis est, dupliciter torquetur, qui hoc gladio puniendus est: scriptum est enim: statuit igneam romphæam, et foribus custodire vian ligni vitæ. Et quomodo si gladius acutus et candens inferatur in corpus, duplicem tribuit cruciatum, adustionem, et cæcidi; sic et romphæa, quæ ad custodiam paradisi statuta memoratur; quam nunc ob expositionem gladii presentis assumpsimus, duplicem infert tormenta, dum adurit, et dividit. Ut tamen necessarium aliquid, ex quibus Deus sensum nostrum illuminat, in loco præsentis interponamus, accipe exemplum. Anut studiosi medicinalis disciplinae, ad quasdam corporum curationes necessarium esse non solum sectionem ferri, verum etiam adustionem. Nam ad eos, qui cancro æterno conpustrescunt, candentem sic novaculae lamina, sive quodcumque acutissimam ferri genus adhibent, ut per ignem radices canceris ecollantur, per incisionem autem putrida caro traneatur, et via pateat medicaminibus iniiciendis. Quis putas nostrum canceris, ut illa dicam, habet simile peccatum, ut non ei sufficiat, aut simplex acumen ferri in duobus locis significatum? In alio loco ait: Non veni mittere pacem super terram, sed gladium; in alio vero: ignem veni mittere super terram, et utnam ignem ardeat: igitur defert utrumque Saluator, gladium, et ignem; hæc ille. Ac tandem, ut multa paucis complectar, brachium est Verbum divinum incarnatum, per quod Deus vindictam sumit ab hostibus nostris (Osee 11): Qui percussit Aegyptum eum primogenitis eorum, et duxit Israel de medio eorum in manu potentis, et brachio excelso: brachium, per quod imbecilles confortat (Psal. 88): Brachium meum confortabit eum: brachium pugilis, qui pugnando, brachium regis Aegypti, hoc est diaboli, confregit, iuxta illud (Ecl. 30): Filii hominis brachium Pharaonis regis ego confregi: brachium, quod perditos, ac dispersos congregat, Isaia dicente (c. 40): In brachio suo congregabit agnos: brachium, cui nemo resistere valet (Sap. 11): Et virtuti brachii tui quis resistet? brachium, quod omnia tam coelestia, quam terrestria suo subieci dominio (Isai. 40): Ecce Dominus in fortitudine veniet, et brachium